

B. n. II

ΠC
924

BK. 524.

B. M. II, 472.

DE
C. PLINIO SECUNDO
ERUDITAE VITAE MAGISTRO
COMMENTATIO

QVA AD

IVVENVM ORATIONES

D. IV. MAI. A. O. R. CICLO CCLXXXIV.


BENEVOLE AVDIENDAS

OFFICIOSISSIME AT QVE HUMANISSIME

INVITAT

CHRISTIANVS FRIDERICVS OLPE

A. M. SCHOLAE DRESD. CRVC. RECTOR.



DRESDAE,

TYPIS HENR. GUIL. HARPETERI.

DE

C. PLINEI SECUNDI

PRUDENTER VITAE MAGISTERIO

COMMITTATIO

CAESAR

LAUDANUM GRATIOM

ANNO MDCCLXVII

ADIEZIA AVDIZIA

CHRISTIANAE RIDEERIGAS OFPE

A. H. SCHOFIE DESS. CAG. RECHT.





Bene ac sapienter praecipit ordinatio scholastica, SERENISSIMI
SAXONVM ELECTORIS, PATRIAE PATRIS OPTIMI,
quem, ex morbo ancipiti ac periculoso recreatum, votis, preci-
bus lacrimisque suis diuinitus redditum Saxonia laetatur, auctoritate' ante
hos annos vndecim publicata, vt praeceptrors scholarum celebriorum,
classicos scriptores interpretaturi, adolescentes, in disciplinam sibi datos,
non modo recte hos intelligere atque imitari doceant, sed animum quo-
que ac mores eorum salubribus praceptis instruant, semperque id agant,
vt discipuli praecclare aut turpiter dicta & facta intueantur; inde quod
ament atque imitentur, inde quod fugiant vitentque, sibi capiant. Cuius
ego memor instituti, non solum ingenia iuuenum fidei meae commisso-
rum aetatis priscae scriptoribus colenda, & recto pulchritudinis natuuae
sensu imbuenda, sed mentes etiam amore virtutis inflammandas, odio
vitii, quoad res dederunt, implendas existimau. Neque tamē is ego
sum, qui tantum naturae, labe mortalibus ingenita corruptae ac depra-

uatae, tribuat, hac vt sola duce et magistra homines ad bene beateque viuendum adduci posse censeam. Noui, ad virtutes, Deo acceptas, noui, ad felicitatem, constantem ac perpetuo manentem, haud aliam, quam Christi, Seruatoris O. M. disciplinam, hominibus viam apertam et patet factam ostendere. Sic animatus, scholas abhorreo famosas, laudibus quamlibet imprudentiorum celebratas, quae nullam, nisi quam natura dicitat, religionem docentes satis habent, si disciplinae suae alumni virtutem prae se ferant ciuilem. Tantum tamen abest, vt quam natura praecipit, virtutem spernendam repudiandamque putem, eam vt potius priscorum, qui explicandi veniunt, scriptorum exemplis commendem, atque in vsum vitae communis vertam.

Eiusmodi autem paecepta, iuuenum animis vtilia et frugifera, in primis mihi suppeditauit C. Plinius Secundus, quo mirifice delector, tum ob genus dicendi acutum et concinnum, quo vtitur, tum ob prudentiam, modestiam, comitatem, benignitatem, aliasque virtutes in illustri loco positas, quas ille, si quisquam priscorum sapientum, scriptis suis declarauit. Vnde factum quoque est saepius, vt adolescentibus ad dicendum prodituris quaedam in scholis Plinianis a me exposita in memoriam reuocarem, quae aptum orationis argumentum paeberent. Iam vero me facturum operae pretium existimo, si, quae Plinium explicans, tum ad animos ac mores iuuenum regendos, tum ad studia recte ac prudenter instituenda, passim, vt res ferebat, monui, commentationibus quibusdam ad formas typographicas vocatis complecterer, ac *Plinium Secundum, eruditae vitae magistrum*, laudarem.


Nulla esse potest erudita vita, nisi virtus huic accedat, quae animi emendati iudicio, rerum ad se pertinentium delectu habito, paecipiat

mores

mores ac studia, quae deceant hominem liberali disciplina imbutum. Quam si virtutem consecetur adolescens liberalis, tum vero scientia non minus, quam actione, et sibi, et rei publicae, cui natum se intelligit, utilitatem afferet. Facere officium suum non potest vita erudita, si vel moribus ingenuis, vel studiis rectis desituatur. Tum enim praesidiis caret idoneis vel ad intellectum optimarum artium scientia instruendum, vel ad voluntatem inclinationibus animi in actiones bonas et honestas regendam. Itaque homo eruditus, qui emendatior esse velit, duabus oportet rebus potissimum det operam, moribus ac studiis.

Vtrumque Plinius egregie docet in epistolis, quas haud scripsit ex consuetudine quotidiana, ut alii solent, ad negotia vitae communis conficienda. Quas enim, frequenter hortante Septitio, epistolias edidit, eas curatus scripsit, ut ipse loquitur, hoc est, maiore cura, studio atque cultu, easque selegit ex aliis, quas, ut res tempisque tulit, celerius effuderat, nec publici iuris facere volebat. Habuit igitur flos nobilitatis Romanae, habuerunt alii homines illustiores, quae ex tali collectione epistolarum a summo viro in manus sibi traditarum, in primis utilia et fructuosa sibi decerperent.

Miror fuisse, nostra etiam memoria, qui has epistolulas in scholis legi non velint, rati, nescio quid obscuritatis his inesse, saltim nimiae breuitatis, ac dictio[n]is minus aptae ac naturalis, quam iuuenes imitatur a castae profluentisque latinitatis cultu auocentur. Si quis ad epistolulas bene scribendas se conferre velit, huic solum Ciceronem esse intuendum et consestandum; Plinium vel eo nomine non commendandum, quod nimis curae ac diligentiae suis epistolis tribuerit. Evidem haud video, cur epistolae maiori cura et sollertia scriptae ingenium epistolarum bene



compositarum exuant. Lingua, tibi patria, conuerte Plinianas epistolas; nec tamen more Sartoriano, in chartam coniice, lege, quoties libet, relege, iudex aequus, oppido fatebere, dignum imitatione, ac nitidissimarum in his exemplar epistolarum apparere. Qui Plinium in primis ducem secutus est, Gellertus nostras, epistolas, haud fane contemnendas atque a naturali pulchritudine abhorrentes, posteris reliquit. Erat, ut ipse ait Lib. I. 5. Plinio cum Cicerone aemulatio, et stultissimum credens ad imitandum non optima quaeque proponere, eloquentia saeculi sui non erat contentus. Genus dicendi Laconicum has epistolas spirare, vltro largior; neque tamen a me impetrare possum, ut ideo negligendas et adolescentibus elegantis ac tersae latinitatis studiosis haud contemplandas censeam. Esse hoc nouimus aetati iuuenili proprium, ut scribendi genere nimis diffuso atque otioso plerumque lasciuat, et quae multo concisius ac breuius dici poterant ac debebant, nimiis verborum ambagiis corrumpat. Haec igitur vberitas, aut lasciuia potius, pressiorum lectione scriptorum, ut Sallustii, Plinii, Taciti, coercenda et temperanda est, idque praeceptoribus respiciendum, ut discipulis viam ac rationem commonstrent, qua medio eant tutissimi, nec obscuri fiant, dum esse breues laborant, nec otiosi ac frigidi, dum nimiam vberatem copiamque affectant. Mitto quod dictio epistolas decens breuitatem sententiarum facilius ferat, quam genus dicendi orationibus bene compositis proprium. Nolo iudicia hominum doctorum et harum rerum peritissimorum, ad Plinii lectionem in scholis tuendam, pluribus affere; cum alii iam mihi talis instituti otium fecerunt. Neque tamen omnia sicco pede praeteribo. Placet quaedam decerpere ex luculentissima commentatione, qua HENRICVS STEPHANVS Plinianis epistolis praefatus est. *Plinii Secundi,* inquit,

inquit, epistolas quo saepius lego, eo magis illas a plerisque tam raro
legi miror; multo etiam magis, a nonnullis ne legi quidem omnino. Ne-
que vero de iis tantum loquor, qui multos scriptores non aspernantur so-
lum, sed etiam auersantur, atque adeo lectione illorum sibi interdicunt, non
alia de causa, quam quod verentur, ne suum Ciceronianum filium aliqua ser-
monis non satis Ciceroniani contagione inficiant; sed de aliis non nullis, qui,
quamvis illo superstitione latinitatis morbo non laborent, quosdam tamen e
scriptoribus, saeculo Ciceronis posterioribus, lectione sua non dignantur.
Quid ergo habent istae epistolae, propter quod tam dignae sint, quae legantur?
excipiet fortasse vel horum, vel illorum aliquis. Ego vero, illas aliquid
habere, propter quod legi mereantur, non respondebo; sed habere omnia,
quaे nos ad epistolarum aut Latinarum aut Graecarum lectionem innitare et
possint, & debeat. Nam siue utilitatem, siue delectationem, siue etiam
vitrumque in istarum lectione sibi quis proponat, eum, quod abunde suo desi-
derio satisfaciat, inuenturum esse dico. STEPHANI iudicio illud IOAN-
NIS GUILIELMI BERGERI, summi viri, adiungemus, his verbis con-
ceptum: Saepe multumque recordor C. Plinii Secundi, quo auctore, inde ab
adolescentia vti solitus sum, non modo ad elegantiam scribeudi, sed etiam ad
prudentiam viuendi, cum eius epistolae videantur scriptae, ad hominum vi-
tam praesentibus exemplis erudiendam.

Quae quidem singula cum in memoriam redigo mihique apud ani-
mum propono; non possum non eximie laetari, fuisse institutum Plinia-
nas epistolas in scholis meis legendi non modo adolescentibus lectissimis
iucundissimum, sed etiam Viris doctrina meritisque Clarissimis, Inspecto-
ribus scholae Grauijissimis ac Prudentissimis, maximopere probatum. In-
primis FLEISCHERVM, Consulem de omni re publica praeclare promeri-
tum,

tum, Virum et civilis doctrinae, et elegantioris peritisimum, memini epistolas Plinii habere in deliciis, ac saepius dictitare, optimum has epistolarum, apte, prudenter atque eleganter scriptarum, exemplar, quod sedulo iuvenes imitantur, monstrare. Dolemus sane, ac vehementer angimur talis tantique Viri, humanis rebus nuper exempti, obitu praematu atque inopinato. Et quidni doloreamus, perpetuo eius desiderio incensi? Luget hunc sibi erectum Senatus, maerent hunc ciues amissum, quamvis iam videant sibi, commutatis tantum personis, redditum, lacrimis huius cineres prosequuntur scholae, atque imaginem Optimi Viri, veneratione sanctam, contemplantes queruntur ac lamentantur: Νῦ νεῖται Πάτρονος.

Discrimine tamen haud leui epistolae Plinianae a Ciceronianis differunt, si materiam species, quam illae sunt noctae, et varietate negotiorum, et magnitudine amplissima, tum stante ac florente re publica, tum bellis ciuilibus turbata et conuulta. His enim temporibus, quibus res magnae domi forisque gestae sunt, summam Cicero auctoritatem et in senatu, et in omni re publica obtinebat. Itaque vel rebus illis intererat, vel praeerat etiam, ut nihil scire non posset, quod tum siebat. Habant igitur copiosissimam scribendi materiam, quam vel ipsum tempus, vel illius conditio suppeditabat. At Plinii aetate alia prorsus rerum facies apparebat. Erat res publica in ciuitatem conuersa, vnius potestate cuncta tenebantur ac regebantur, in ipsoque senatu vel conspectus Principis, vel eius epistolae dominari solebant. Quam ob rem Plinius angustos aetatis suae terminos ostendit, Lib. IX, 2. et Sabino suo, qui eum ad M. Tullii exemplum vocauerat, non alias epistolas, quam scholasticas atque vimbraticas, promittit, Ciceronis ingenio et varietatem rerum et magitu-

gnitudinem docens largissime suppetuisse. Loquitur autem, ratione prioris aei, de quo diximus, habita. Non nunquam tamen quaedam assert ad statum publicum pertinentia, ut Lib. III, 20. Sed haec rariora sunt, mutato rei publicae statu. Quo circa Plinio in epistolis id, quod Cornelio Tacito, quicum amicissime viuebat, in historia vnu venit. Excusat se Annalium scriptor prudentissimus, quod comparari sua historia non possit cum Liuiana, quoniam suo tempore tantae res non eueniant, quantae acciderint Liuuii. Pleraque eorum, inquit, quae retuli, quaeque referant, parva forsitan et leuia memoratu videri, non nestius sum: Sed nemo Annales nostros cum scriptura eorum contenderit, qui veteres populi Romani res composuerent. Ingentia illi bella, expugnationes urbium, fusos captosque reges; aut si quando ad interna praeuerterent, discordias consulum aduersus tribunos, agrarias frumentariasque leges, plebis et optimatum certamina, libero egressu memorabant. Nobis in arte et inglorius labor. Annal. IV, 32.

At Plinius inopiae rerum maiorum, quales Tullius habuit, noui vitilisque inuenti follertia medetur. Nam ratione quadam singulari saepe argumenta epistolarum feligit ex quotidianis viuorum mortuorumque exemplis, quibus magis homines doceri ac moueri solent, possunt certe, quam praecepsit. Sub exemplis igitur, per aliorum facta, docet mores in utramque partem, ut boni adsciscantur, mali fugiantur. Hoc Auito suo profitetur, Lib. II, 6. conuenire, ratus, amori in eum suo, data communefaciendi occasione, sub exemplo praeimonere, quid ei vitandum putet. Sed vide Plinii vel modestiam, vel prudentiam. Exempla enim profert, parum laudis ac virtutis habentia, verum nominibus plerumque parcit. *Apud QVENDAM, inquit, coenabam, ut sibi videbatur, lautum et diligentem; ut mihi,*

sordidum simul et sumtuosum. Immodicæ seueritatis exemplo admonitus, scribit Iuniori suo, ne quando filium suum acerbius duriusque tractet, cogitet potius, et illum puerum esse, et se fuisse, atque ita hoc, quod sit pater, vtatur, vt meminerit, et hominem esse se, et hominis patrem. Sed nomen patris nimium seueri omittit. *Castigabat QVIDAM filium suum, quod paullo sumtuosius equos et canes emeret,* Lib. IX, 12. Hanc nominibus abstinendi prudentiam discat homo liberalis, hanc magni vitæ suae commodo imitetur.

Ita vero Plinius ethicam adhibet paradigmaticam, quam in historia esse quaerendam, Polybius, eumque imitatus Liuius, scribunt. Simillem doctrinam poetae adhibent, Homerus in Achille proponens fortitudinem, in Ulyssè prudentiam. Virgilius Homerum imitatus est, exemplo Aeneae boni Principis exemplum effingens, Turni et Mezentii contrarium. Sed illi assumunt vetera, Plinius noua consecutatur. Suam enim ethicam, aliamque doctrinam, mutuatur ab exemplis recentibus, saepe etiam adhuc praesentibus, quae dici vix potest, quantam vim habeant, cum oculis videntur subiicere, quod doctrina monstrat e longinquuo. Itaque Plinius *recte, ad rationem vitae, inquit, exemplis eruditum.* Hanc per exempla docendi rationem Plinius quoque init in Panegyrico, ubi Traianum laudans sub exemplo studet praemonere, qua potissimum via futuri Principes ad eandem gloriam eniti possent.

Sed cum latius pateat prudentia et virtus, qua Plinius vitam eruditam instruit, quam vt paucis paginis comprehendi possit; hic subsistimus, alio tempore plura persecuturi. Etenim habenda iam est ratio instituti, ob quod hanc commentationem, quamvis exiguum, scribere suscepimus. Procedent ad dicendum bonae spei Iuuenes, Scholae Crucianae disci-

disciplinam secuti, tum in Academiam transituri, tum; quid profecerint, exercitatione publica declaraturi. Quibusdam ex his dicendi materiam praebet vndarum exsuperantia, quibusdam Plinius Secundus.

- I. CHRISTIANVS GOTTLÖB KLEMM, *Hoekendorfensis*, Choro Alumn. I. Praef. Carmine patria lingua fuso *inundationem flammum, hieme proxima exeunte tristem et calamitosam*, describet.
- II. CHRISTIANVS FRIDERICVS TAVERSCHMIDT, *Annaber-*
gensis, Choro Currend. I. Praef. *optimos esse homines; dum in-*
firma sunt, oratione Germ. demonstrabit.
- III. IOANNES GODOFREDVS KÜHNE, *Leppersdorferensis*, Choro Currend. III. Praef. *honestissimam esse culpam benignitatis, ora-*
tione Latina docebit.
- IV. CHRISTIANVS GOTTLÖB CASPARI, *Rieffenensis*, Extran.
oportere priuatis utilitatibus publicas, mortalibus aeternas ante-
ferre, oratione Germ. efficiet.
- V. SAMVEL GOTTLIEB ENGELHARDT, *Dresdensis*, Extran.
optime reverentiam, pudorem ac metum iudicare, Latii lingua
praedicabit.
- VI. IMMANVEL LIEBEGOTT HEROLD, *Briesnicensis*, Choro Alumn. II. Praef. *CHRISTVM mari ac procellis imperantens* carmine Latino celebraturus.
- VII. CAROLVS HENRICVS ECKOLT, *Sebnitienensis*, Alumn. illud Plinii παραδοξον, *studendum, et non studendum*, Latinis verbis explicabit.

Quibus

AK IIc 924

12

Quibus orationibus recitatis KLEMMIVS, vna cum commilitoni-
bus in Academiam proxime cogitantibus, iterum prodibit, grati animi
religionem exsoluturus.

Commilitones honorifice abeentes bonis votis prosequetur

VIII. FELIX GOTTHELF TRÜBENBACH, *Dohnensis*, Alumn.
Choro I. Adi.

Equidem nihil cupidius opto, quam vt Adolescentibus humanissi-
mis, academica iam disciplina imbuendis, industriae apud nos bonis arti-
bus adhibitae, et virtutis incorruptae fructus perpetuo constet; VIROS
autem ILLVSTRES AC GENEROSISSIMOS, EPHORVM SCHO-
LAE MAGNIFICVM AC SVMME VENERABILEM, LIBERA-
LIVM ARTIVM NVRITORES AC PATRONOS, PATRES CON-
SCRIPTOS AMPLISSIMOS AC SPLENDIDISSIMOS, SACERDO-
TES PLVRIMVM REVERENDOS, MAGISTROS SCHOLARVM
CLARISSIMOS, et quicunque artium liberalium officinis fauent, quanta
possim, obseruantia et humanitate, rogo, vt cras, *hora tertia pomeri-
diana*, oratores dicendi periculum facturos gratia frequentiaque sua or-
nare ne dedignantur. Scribeb. in Schola Dresdensi Cruciana, d. III. Mai.

CCCLXXXIV.

APRILIS II. DECEMBER CHRISTIANI ANNI MDCCLXVII. IN LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA AT BERKELEY. BOSTON PUBLIC LIBRARY. BOSTON. MASS.

BOSTON PUBLIC LIBRARY. BOSTON. MASS.

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY. TORONTO. ONTARIO. CANADA.

ULB Halle
001 853 066

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



QK. 524.

B. M. II 472.

DE
C. PLINIO SECVNDO
ERVDITAE VITAE MAGISTRO
COMMENTATIO

QVA AD

IVVENVM ORATIONES

D. IV. MAI. A. O. R. CICICLXXXIV.


BENEVOLE AVDIENDAS

OFFICIOSISSIME AT QVE HUMANISSIME

INVITAT

CHRISTIANVS FRIDERICVS OLPE

A. M. SCHOLAE DRESD. CRVC. RECTOR.



DRESDAE,
TYPIS HENR. GVIL. HARPETERI.

